



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX

Feria II. Paschatis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)

FERIA II. PASCHATIS.

Partitio.

- I. De humana vita miseria.
- II. De Magi, & sepe discipulis afficiante.
- III. De peregrinatione Christi: & cuiusque Christiani.
- IV. De peccatorum malorum oblivione.

Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus. Luc. 24.

FIGURA.

Tob. 11. **N**ON prius potuit Tobias tam Pater quam filius, Angelum qui peregrinantis & viatoris habitu assumpto, itaens sese socium ac ducem semper gesserat, & cum iisdem frequenter locutus erat, recognoscere: quam confectis iam negotiis, & petactio itinere, cum iam iam abiturus utriusque valediceret, quisnam esset & unde missus, ipsi declararet, nisi stupore percussis ex oculis evanesceret. Simile quid in Euangelio hodierno intueri videor: cerno namque duos discipulos Ierosolymis in Emaus castellum tendentes, quibus sese Angelus testamenti, Iesus Christus itaens socium praeberet: qui cum eum minime agnoscerent, tandem in fractione panis sese manifestavit, & ex oculis eorum evanescens, utrumque stupore defixum reliquit. Insignis historia, & ad audiendum iucunda: sed ut eam pro dignitate exponere valeamus, superne illud lumē, quod tenebras pellit, quod mentis caliginem auferit, animos suggerit, & linguas impeditas dissolvit, sanctissimi inquam Spiritus auxilium, nobis imprimis necessarium est: eius igitur opem imploremus, idque auctoritate, qua apud eum valet plurima, Angelorum regina, quam verbis Angelicis salutabimus, dicentes:

AVE MARIA.

Heracitus Philosophus Heracitus cum vita huius calamitates & miseras, quas indies videbat, tempore secum tacitus reuolueret, eisdem toto vitae tempore deplorauit. Inter fideles vero, Deiq;

cognitionem habentes Iobum Heracito similem fuisse, dicere possumus: cum enim vita huius breuitatem ille sui ob oculos poneret, & simul ingentes illas calamitates & arumnas, quibus tantillo tempore homo dum viuere obnoxius est (de quibus ait: *Homo natus de muliere breui uiuens tempore, repletur multis miseriis*) nunquam non lachrymabatur, & plangebat, dicens: *Tades animam meam: vita mea.* Et quem obsecro, Iob non taderet uere, ubi quidquid est, homini aduersatur, in mundo eumque destruere contendit, caeli namque est aduersus hominem fluxibus eum suis corrumpunt, elementa suis hominem conuocantur. Quiddam uere, ubi quidquid est, homini aduersatur, in mundo eumque destruere contendit, caeli namque est aduersus hominem fluxibus eum suis corrumpunt, elementa suis hominem conuocantur. Quiddam uere, ubi quidquid est, homini aduersatur, in mundo eumque destruere contendit, caeli namque est aduersus hominem fluxibus eum suis corrumpunt, elementa suis hominem conuocantur.

An non stulti & stolidi fuisse uidentur Hebraei, dum magna cum inopia, & mille pressis arumnis in Aegypto uiuere, quam terram promissionis lacte & uino manantem, ingredi maluerunt, in qua iucundissime uiuere ac quiete vitam delicias voluptatibusque affluentibus uti uiderent? maiora tamen eorum esse mihi uidetur demeria, qui in miseri huius mundi Aegypto in finitum conficti arumnis, ac plurimis pulsi calamitatibus, degere maluerunt quam animo cogitationeque ad felicem illam uiuentium regionem, ubi perfecta iucunditas, ac iucunda felicitas ac societas est, aspirare. Quanta igitur uestra est caecitas, o cosmophilii nescitis, cheu nescitis, quid haec vita sit, quae mala secum trahat, quibus casibus & infortuniis sit obnoxia.

Vnde bene mihi scripsisse uisus est Seneca: *De breuitate uita hominis, inquit, nunquam accipitur, si sapientibus daretur: quis enim, obsecro, futurus est qui eius sese legibus subiiciat, & se illius miseriam heredem profiteri uelit? Quis dic mihi, obsecro, haec de se se tuum dicere audeat, infelix uita, quae te adire & accipere praesumat, quae quali nos egredieris & cotereris, & fugis uelut umbra? Vita uestra, Auditores,*

Vita hæc cursui solis per similes est: videtur namque; lucis solis eidem illud astrum non moueri, cum tanto comparatur. tamen impetu tantâque violentia feratur, vt ad

singulos horæ quadrantibus centum viginti miliarium millia illud conficere doceat Philosophi: id ipsum de vita hac nostra dicere possumus, in statu quidem suo manere videtur, ac loco quiescere, attamen celerrimi instat cursoris semper ad finem properat, adeo vt non prius cucurrisset videamur, quam ad sepulchrum iam peruentum fuerit. Hinc bene eam

*Greg. in Re-
gib.*

D. Greg. nauiganti simile esse dixit, in namque; qui nauem conscenderunt & nauigant, arbores, agros & scopulos moueri, se vero in loco putant quiescere: cum tamen secus id se habere omnes sciant, nauem scilicet semper recedere, cetera vero loco neutiquam moueri. Id ipsum tibi accidit, o homo, qui in mundi huius mari nauigas: omnia moueri existimas & te immobilem persistere: cum tamen ipse ad mortem citatis quasi equis proderes, cetera omnia quæta maneant.

Equidem eam animalculo, quod Ephemerum appellant, comparauero, quod mane quidem nascitur, vespere autem occidit, cuius licet vita ultra diem vnum non extendatur, tanta tamen eius in quaerendo victu sollicitudo & cura est, quanta coruorum quinque seculis uiuentium. Magna profecto huius insecti stultitia est: at vestra longe maior est, o mundi amatores, qui cum decem aut duodecim tantum annis hic vobis viuendum sit, tantas tamen opes ageritis, & ita de comætu solliciti estis, quasi

*Explicatur
humane vi-
tae miseria.*

mille annis in hac arce viuendum foret. Sed ingens reuera amentia est, tantopere erga fragile hanc & fugacem vitam affici: cum ipsi met Ethnici hac nobis in re multo sapientiores existierint. Spartiatæ namque; toto quidem vitæ tempore lugubribus & atris vestibus induebantur: at cum morti appropinquaret, sumptuosius & regnicis: quo agendi modo satis indicabant, quam amara iis vita foret, quam lata vero & iucunda mors. Eandem pene agendi consuetudinem habuere Thracæ, qui infantibus iam recens in lucem editis lamentabantur, & cunas lachrymis perfundebant, quod eos lachrymarum & miseriarum locum ingredi putarent: morientibus vero festiuo cantu & læticia applaudebatur, quod omnibus

hisce ærumnis crepti, quietis iam portum instaturi essent. Quin & ipsa nobis animalia vitæ huius ærumnas & calamitates quodammodo velle ostendere videtur: cygnus namque; egregia illa auis, toto vitæ tempore cantare detrectat: sed ubi fata vocant, vdis coniectus in herbis, iucundissimo cantu aëra permulcet, lætus quodammodo & gaudens hac infelici & lachrymosa vita se liberandum.

Et quoniam cantus mentio incidit, ipsi Hebræi in quoque Israëlita, quamdiu in Babylonica Babylone captiuitate captiui detinebantur, nunquam cantare potuerunt, adeo vt si quædam eos Chaldae ad patrios psalmos decantandos inuiterent, lachrymantes responderent: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? At heu, mundus hic multo Babyloniis illis deterior est, nostraque; fors longe iniquior sorte Hebræorum. Quis igitur in eo ridere, cantare, choreas agere, inceptire, deliciisque indulgere præsumat? Et sane vita hæc nostra vera Babylon est, terra aliena, locus peregrinationis receptaculum, & colluuius malorum, miseriarum diuersorium, solitudo terribilis & tristis ac perpetuo exilio infamis, denique; via & quidem transitus: ita namque; eum nuncupare hodiernum Euangel. videtur, in quo non nisi de peregrinis, viatoribusque; sermo est, adeo vt & Dominus viatoris personam & habitum induerit. Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, &c. Ad eam primo hosce viatores, & videamus quinam sint, ac deinde quid dicant, quos sermones habeant, ad inuicem audiemus.*

Quod ad primum igitur spectat, refert Euangel. duos ex discipulis fuga dilapsos, in Emaus castellum, quod 60. stadiis, vel duobus cum dimidio miliaribus, nostra metendi ratione ab urbe aberat, profectos esse, deique; Messia qui ante dies aliquot cruci affixus erat, sermones habuisse cuius morte & absentia magnopere se affici & affligi demonstrabant. Sperabamus, inque; eabant nos & totam gentem nostram à captiuitate & Romanorum tyrannide per eum liberandum, regnumque; Israël eius ope restaurandum, sed nulla iam eius rei spes affulget: dixerat adhuc tertio se die à mortuis resurrecturum, & tres iam ecce dies elapsi sunt, & nihil huiusmodi videmus contigisse. Cum hos itaque inter se sermo-

Hebræi in
Babylone
cantare nõ
potuerunt.
Psal. 16.

Sim

Iai.

Psal.

Psal.

II.

Quin

more

et

sermone haberent, atque ita fabularentur, ecce derepente Saluator itineris se socium præbet, inque medium eorum se sistit.

Simile.

Et sane quemadmodum post cruentum & diuturnum prælium, quiescentibus iam turbis & armorum strepitu, dux milites huc illucq; dispersos colligit, eosq; de victoria certiores reddit: ita quoq; hodierna die Christum generosum illum ducem agere videmus. Apostoli namque & discipuli, Christi inquam milites, metu perterriti & consternati, è cruento illo passionis certamine fugerant, & huc atque illuc dispersi erant; & ecce dux eos hodie è fuga retrahit, reuersosque de victoria, de mundo & dæmonibus relata, certiores facit. Magdalenam namque errantem quaerit, tres Marias in urbem redire compellit, hinc Petrum insequitur, & omnibus sese Apostolis in Ierusalem manifestat, eosque ad castra reducit: illinc vero, duobus discipulis in Emaus tendentibus apparet, quos inertis & ignauis arguit, quod duce suo in discrimine relicto, castris se turpiter proripiissent. Sed ante ceteros tibi se manifestum dedit, & SS. Virgo, tibi que lætum resurrectionis nuntium tulit.

Simile.

Nam sicut sol, cum mane oritur, summa montium cacumina radiis suis primum ferit, deinde humiles colles irradiat: ita quoq; Dominum fecisse compertum est. Virgo Deipara namq; mons erat in vertice montium, vt Isai ait. vel, vt David canit, *mons pinguis, mons in quo beneplacitum est habitare Deo.* Apostoli vero instar collium, de quibus scriptum est, *fundamenta eius in montibus sanctis, i. Apostolis.* Sol hic igitur ex altero veniens orbe, radiis se suis magno illi monti Virgini Mariæ primo, ac deinde cæteris collibus, Apostolis nempe, videndum præbet. Hic vero videmus, vt quos hocce viatores radiis suis illustret, eosque ita accendat, vt calore intus æstuante ad inuicem dixerint: *Nonne cor nostrum a dens erat in via? sole nimirum directe capitibus eorum imminente.*

II.

Quinam hi

maiores

est?

Quinam vero vos estis & peregrini? vel unde: quo vos appellabo nomine? nescio: vni quidem ex Euangelii textu certum est, nomen fuisse Cleophae, qui quatuor sanctissimorum virorum, trium Apostolorum, Iudæ nimirum cognomento Thadæi, Simonis & Iacobi Minoris, ac Ioseph vnius è 12 discipulis

cognomento Iusti, pater exiit. Alterius autem nomen ignoratur; sed omnes pene Patres vnanimiter tradunt, hunc fuisse Lucam Euangelistam, & Actuum Apostolorum scriptorem. Eiusdem namq; opinionis fuit Gregorius Magnus, Nicephorus, Theophylactus, in Lucam, & Epiphanius. Solus Hieronymus alteram sententiam tuetur, in prologo enim in Lucam ait, cum Dominum in carne non vidisse, idque ex verbis ipsius Lucæ se colligere ait: *Sicut tradiderunt nobis hi qui ab initio suis oculis viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Sed nihil inde effici potest aliud, quam Lucam de primis Apostolis non fuisse, sed longo post alios intervallo ceteris accessisse.

Gregor. Magn. c. 2. Eccl. hist. li. 1. c. 34. in Luc. c. 24.

Act. 1.

Quidquid demum sit, hoc saltem constat, Dominum duobus hisce discipulis socium se habitu viatoris, adiunxisse. Sed cur his te potius Domine quam mulieribus adiungis? in promptu ratio est, quia te nimirum illarum aromatibus & vnguentis pretiosis onustæ quarunt, atque ideo eas fugis, discipuli vero a te fugiunt, & tu eos persequeris.

Insignis

Exclamat hic Augustinus admirans: *Vere Domine, maiori semper occurris necessitati; quem admodum enim cor hominis in medio corporis constitutum, magis ad sinistram vergit, & sanguis in eodem habitans corpore, partes eiusdem, eo maxime opus habentes, defendit ac tuetur; vt in subita formidine fieri videmus (partibus namq; exterioribus destitutis, ad cor quasi ad locum, cuius permagni interit, sese recipit, qui si amittatur, de vita penitus actum est: atq; hæc causa est palloris, & verecundiæ, quæ in vultu sese interdum manifestat.) Id ipsum hic à Domino fieri videmus: qui relictis aliis discipulis, duobus hisce in primis succurrendum censuit, in maxima scilicet necessitate ac discrimine constitutis. Perdiderunt namque iam fidem, spes quoque eos deficere incipiebat.*

conceptus.

Sed quonam pacto fieri putamus, vt tanto beneficio à Domino afficiantur, vt Christi Iesu consortio societateq; digni iudicentur? causam quaerimus? in promptu est, quod ad inuicem loquerentur de omnibus quæ ab hinc triduo Hierosolymis contigerant, de passione videlicet Redemptoris. O sancte sermocinationes! & diuina colloquia! de his se

Cur Domini n^o hifce dicipulis socium se adiunxerit.

nobis *in via*, interea dum hic viuimus, & in vita huius curriculo velut viatores ambulamus, loquendum est, si Christum peregrinationis socium habere desideremus.

Insignis figura.

2. Reg. II.

O sancta & salubris passionis memoria! quantum tu animabus iustis commodum afferre, quantum potes prodesse? ad diuinum quippe amorem nos accendis, humilitatem instillas, superbiam suffocas, & delicias carnis à nobis expellis.

Cum David Vria Hebræo, vni è Principibus suis è castris Ierosolymam redeunti persuaderet, domum vt secederet, fracta bello membra lautius nonnihil haberet, genio indulgeret, & vxore vteretur: statim Regi in hæc verba respondit: *Arca Dei è Israel, & iuda, habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terra manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam & cubem cum vxore mea.* De te hoc dictum puta Christiane: quando te mundus ad delicias inuitat, teque inescare machinatur: quam congrue illi respondere poteris & apposite, passionem Domini respiciendo. Quid? Arca Dei, sacra, inquam, Iesu Christi humanitas, atq; omnis Sanctorum nobilitas, in desertis Caluarie locis commorantur, tribulationu crucibus affixa: quin & dux meus Iesus Christus super duram cubat, in duram scilicet crucem extensus, & tu me ad delicias inuites, vt genio indulgeam suades, vt voluptatibus me patiar inelcari, vt laborem, qui mihi subeundus est, quantum possum, declinem? sed parum hoc est conueniens: meræ sunt nugæ hocce mihi occinere, numquam enim huiusmodi flagitium committam.

2. Reg. 15.

Simile quid in secundo Regum. lego commentario. Cum enim David Rex per desertum per agros nudus & vduus, omniq; destitutus auxilio fugeret, & torrentem tristitia grauatus transiret, omnes eum nobiles & subditi lachrymis comitabantur, eiusq; casui, quantum poterant, condolere se planctu & lamentis demonstrabant. Ecquis, obsecro, erit Christianus, verus cælestis aulae inquilinus, Christi q; Domini fidelis Vasallus, qui passionem Domini cum ruminet, Dei q; Filium tæta humilitate, cruentam Iudæorum in caput suum conspitationem fugientem, & torrentem pas-

sionis transeuntem, perque Caluarie rupes serpentem contempletur: eum, tristi hoc spectaculo commotus, oculis lachrymantibus, corde gemebundo, linguaque querula, non comiterur: quis inquam, pedem in terra non figat, non se demittat, aut humiliet?

Quinetiam è sancta Dominice Passionis recordatio validum propugnaculum es, aduersus omnem infernalem proteruiam, salubre aduersus diabolicos incurfus antidotum, ac singulare ad mundi technas versutiasque detegendas remedium. In quam rem figuras vobis adducam. Daniel Propheta sparsis in fano cineribus technas sacrificulorum, & e mentitam Beli diuinitatem detexit. Cineres hi, cineres sunt Iesu Christi, & memoria passionis eius, qui statim vt in animarum nostrarum templo sparguntur, Sathanæ statim versutias, carnis blanditias, & vasti idoli, mundi nimirum, dolos detegunt & reuelant.

Similes propmodum conceptus, sed alterius tamen generis. Præcepit apud Ezech. Deus omnes interfici, qui signum Thauris tribus non preferrent, denotat hoc mysterium omnes & singulos, qui signo crucis, cuius imaginè Thauris nota referebat, & passionis insignibus notati, signatque non essent, frontique memorie suæ eadem insculpta non gererent, in magno vitæ discrimine vertari.

O miseri mundani, ô infelices cosmophili! non reperitur Christus in medio vestri, nec se vobis itineris socium adiungit, quia *in via* vitæ huius, de his quæ in passionis eius diluuiò contigerunt, non disleritis. Non agitis in hoc itinere de Iesu Nazareno, non loquimini de mundo nisi de mundo, de honoribus, dignitatibus, sermones diuitiis. Non ambulat vobiscum Deus, ô inanium rerum indagatores, & non quarum serum scioli, quia non loquimini de iis quæ in domo Anna, in qua Christus percussus fuit, de iis quæ in domo Caiphæ, vbi conspurcatus & conspurus, deus quæ in Palatio Herodis, in quo veste alba delutus; de iis quæ in prætorio apud Pilatum contigerunt, vbi ad mortem condemnatus fuit: non sunt sermones vestri de iis quæ circa crucem peracta sunt, et nimirum clavis fuerit conluxus, aceto potatus, lancea perforatus, denique vt mortuus fuerit: non sunt nisi de rebus mundi huius, de

de iis quæ in aula, quæ Romæ, quæ in Hispania, quæ in alio orbe geruntur.

At si Deum socium habere desideretis, quemadmodum duo hi hodie habuerunt, loquimini potius de cælo, de conscientie vestrae statu, de suppliciiis quæ Dominus in cruce pertulit, de tota passionis eius liade. Et perpendere hic obiter vos velim, si op solus Deus sermones, propter aliquot verba hęc se tertium adiunxit: quid facturum sit ob bona opera? si tantam sola verba gratiam promeruerint, quantam ipsa bona opera habitura sperandum est?

Christus hos viator alloquitur est.

Cleophae respondo.

Alloquitur quin etiam eos yltro est: audiamus quid dicat. *Qui sunt hi sermones quos confertis adnuicem, et estis tristes?* quo vos & unde? tristitiam quippe vultus præfert. Cui Cleophas, *Tu solus peregrinus es in Israel, & hac ignoras?* Quid, rideri nos à te puto. Venis Ierosolymis vti nos, & fingis te nihil eorum scire, quæ ibi ab hinc triduo cõrigerunt? Iam enim tres dies clapsi sunt, ex quo Principes nostri & Pontifices Iesum quendam Nazarenũ, qui erat vir potens in opere & sermone cruci ignominiosissime affixum mori coegerunt.

Vere potens erat in opere: quoniam plurima per Iudæam miracula edidit, leprosos mundavit, paralyticos sanavit, cæcos illuminavit, dæmones ex hominum corporibus fugavit, mortuos ad vitam reuocavit: an non igitur vere potens in opere fuit? at non minus in sermone. *Nunquam enim homo sic locutus est: alter Orpheus fuit: voce namque arbores & rupes attraxit: famosissimas peccatrices ad bonam frugem eadem voce convertit: milites quoque à Principibus Sacerdotum ad se comprehendendum missi, ut eum loquentem audire, cõpris desistebantes re infecta, ad suos reuersi sunt sanete asseuerantes, nullum vnquam hominem ita sese loquentem auduisse: alii quoque milites in horto oliuarum statim ut vocem eius audire, licet armati & spirantes minarum, supini in terram coniderunt. O magnum oratorem ò linguæ fulmina! an non igitur potens in sermone fuit, cum ad vocem mare & ventus quieuerint, illiusq; imperio obsecundarint, cum eadem Lazarus quatruiduanus tumulo prodierit, Doctores synagogæ in templo stu-*

Ioan. 7.

Matth. 7.

Matth. 14. Ioan. 11. Luc. 2.

pore defixi steterint, ad eandem denique tor peccatores & peccatrices à praua vitæ consuetudine ad puritatem redierint? Noltri tamen Pontifices magnum hunc Prophetam cruci affixerunt. *Et tu solus peregrinus es in Israel, & hac ignoras?*

Quam verus vates existis ò Cleopha? & Christus tamen iocando verum dicere te nescis: ipse verus peregrinus est, qui in mundi grin? in hoc huius exilium cælo pulsus, propter flagitia mundo ex-nostri hanc peregrinationem peregit: vnde titit. de seipso apud Euangelistam testatus est, *Vos Ioan. 7.*

de deorsum o: is, ego de super nis. Vere, vere in quâ peregrinus fuisti Domine: ab omni enim æternitate, præuiso iam Adæ peccato, votum feceras, præsepe te Bethleemiticum, montem Caluarie, ac sanctum sepulchrum, quod Hierosolymis est visitaturum. Inaudierat id quoque Dauid rex cū diceret: *Votum vouit Deus Jacob: perinde ac si dicere voluisset: votum fecit Verbu illud Dei, Patri suo eterno, profectio-nem quandam se iam olim in hunc mundum institurum. Hem quæ peregrinatio! tri-ginta tres & quot excurrit annos in eadem facienda insumpsit, seruilisq; habitũ induit, formam serui accipiens, & viator factus est.*

Psal. 131.

O quantum interea cucurrit, quas nõ regio-nes, quæ non loca peragrauit? Deuenit primo ad præsepe Bethleemiticum: inde in Ægyptum transit, septemq; annos in hoc iter impendit: rum desertum & intimam solitudinem petiit, & quadraginta dierum spacio eam perlustrauit. Quanta hic pietatẽ, quantum feruorem declarauit? At nondum hic quieuit, sed & alia lustrare voluit: Caluarie quin etiam montem conscendit, inde crucẽ, ac deniq; sepulchrum ipsum visitauit. Hem quantas in eũdo molestias sustinuit, quantos labores exantlauit, quantum sudauit, & alit, quas non passus est ærumnas? Hausi id ex D. Greg. Papa, qui Christi iter relegit dicens: *Vultis fratres charissimi, ipsos eius saltem agnoscere? ascensiones, de cælo venit in vterum, de vtero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cælum.*

Christus- difficile iter ingressus est, & languis.

Homil. 29. de ascensionis.

Soluisti iam votum Domine, omnium peregrinorum princeps, peractum iam est iter, peregrinatio tua iam finem accepit, nullus in orbe iam locus restat quẽ adire posses: oĩa ob-

ambu-

ambulasti, & percurristi, iam tempus est, vt quietem capias. Erro, erro auditores, nondū vult quiescere, nam & limbum adire est animus, visitare purgatorium, & ad inferos vltique descendere; atq; hoc est iter de quo lo-

Hierem. 10.

quebatur vaticinans Hieremias: *Dimisi domum meam, reliqui hereditatem meam.* Infinita nobis hoc itinere merita, sibi vero immensam corporis gloriam, & aternā nominis exaltationem comparauit. Sed quid est Cleopha, q̄ *solus peregrinus* diceris, an non & nos omnes peregrini in hoc mundo sumus: ita profecto; testem huiusce rei habeo Apostolum Paulum

Hebr. 13. qui ait: *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Præuiderat id etiā

Psal. 38. vates regius, *Aduena ego sum, & peregrinus, sicut omnes Patres mei.* Primus qui vrbes extruere cœpit, fuit Cain, atque ideo fortasse cœlo excidit: hinc S. Euangelista Ioan. in reuelationib. ait, audiuisse se Angelum clamantem,

Apoc. 8. *Va va habitantibus in terra:* è quo efficitur, mundum hunc inferiorem non esse nisi exilii & ærumnarum locum. Atq; hoc ipsum de eo iudicium fuit Philosophi Anaxagoræ licet

Laertius gentilis, & veri numinis ignari. Refert namq; Laertius, hunc, cum emuli ei propter facultates & opes actionem inrentassent, omnium potius iacturam facere maluisse, quā iudicium suum profsequi, ac sese coram iudicib. defendere: cumq; eum amici & noti fatuū dicerent, quod sua se negligentia omnib. iis bonis & possessionibus, quas maiores tanto sudore ac labore sibi peperissent, orbari sineret, digitos eum ait in cœlum sustollentem respondisse: *Illam patria mea est, illa hereditas mea est, illam ego curo, non ea quæ super terram:* nā mundus hic instar exilii est, locus quidam miseriarum ac lacrymarum occasio. O præclaram hominis Ethnici sententiam! ô virum Christiano dignum nomine.

Præclara Anaxagoræ sententia.

Verum vt ad propositam materiam redeamus; Cleophas cum hæc Christo dixisset, & lachrymis oculos oppletos haberet, tristitiaque animum eius occupasset, statim Christus subintulit, *Et quæ?* quid accidit Ierosolymis? dic, quæso, quidnam tibi cōtigerit, redde me certiorem. *Quid?* anne tu illa oblitus es, an ignoras ipse, qui eadem in corpore pertulisti & de quo totus orbis loquitur? *Quid hoc*

est, an non meministi crudelis passionis, anne oblitus es clauorum, spinarum, flagellorum, sudoris illius sanguinei? Eheu Domine, vix tres elapsi sunt dies; cum in monte Oliueti pauceres & tæderes, cū tot in monte Caluarie supplicia perferres; & hodie ecce rogas, quæ quali hæc omnia in ventos & auras abiissent.

Fuit, fuit, Auditores, ardens illa charitas, & ingens illud amoris incendium, quod omnes priores dolores præteritaq; supplicia penitus excoquebat: charitas inquit, de qua vaticinatus Salomon dicebat, erumnarum vitæ huius aquas, & flumina dolorum quos in passione sustinuit, charitatē hanc extinguere nequaquam potuisse! quam ingens fuit illa charitas! Et sane si tota elementi ignis sphaera, splunca aliqua hoc in mundo posset includi, non est profecto dubium, quin ipse omni semper ratione erumpere gestiens, libertatemque affectans, omnia repagula, concludi indignatus, in mille partes abrumperet. Cum igitur vniuersa diuinitas, que amor est & ignis quidam infinitus, humanitatis nostræ ergastulis, licet voluntate inclusa fuerit; nunquam quiescere potuit, donec corpus hoc suum in cruce dirumpēs, lacerans, ac quodammodo in frustra comminuens, mille nobis amoris signa & argumenta charitatis immensæ ad oculum demonstraret. Videte quales calores, quales ardores in ipso fuerint; adeo vt omnium aliorum, quos in passione pertulit, non amplius iam reminiscatur.

Et quoniam de ardoribus incidit mentio, certum est solem, quo magis capitibus nostris imminet, nobisq; sit vicinior, eo quoque maiorem ardorē edere, & splendidiorē fieri. Idem in sole oculorum nostrorum Christo Iesu vidimus contigisse: quo enim altius in cruce fuit exaltatus, quo & maiorem charitatem, & dilectionem vehementiorē monstrauit. Nam quemadmodum motus violenti & naturales in eo differunt, quod violentus rapidus sit & vehemens in principio, sed ad finē vtgens paulatim deficiat, & tandem est penitus quiescat: naturalis autem initio sit lentior, sed quanto magis mouetur, & vltius procedit, tanto sit maior ac vehementior. Ita quoq; amor, quo nos in Deum ferimus, aliud non est quā motus quidam animæ in Deum,

Christus post resurrectionem priorū dolorum oblitus est.

Insignis conceptus.

Insignis Christi charitas.

Insignis conceptus.

amor Dei
nos natu-
ris est.

IV.

Resurre-
ctionis sta-
tus omniū
quod hic pas-
cha iam ob-
lationē in-
ducit.

Rem. 8.

Martyres
non recor-
dantur cru-
ciantū quos
hic sustinu-
erunt.

qui peccato iam commisso quodammodo co-
actus est, & instar motus violenti, hinc fit vt
in principio penitus ferueat, sed sensim tepi-
dior fiat, ac tandem etiā penitus frigeat. Sed
amor quidam naturalis est, quo procedit vl-
terius, eo fit maior, maioremque charitatem
demonstrat, quem hodierna die ita videmus
excreuisse, vt crucis, clavorum, passionisque
q̄ nostri causa pertulit, penitus oblitus, petat
quidnam hæc etiam sint, quasi eadē ignoret.

Quæ? inquam, Charitas quippe illa adeo eū
incendit, inebriat, adeoque demerit, vt omniū
præteritorum suppliciorū oblitus, & omnem
eorū memoriam exuisse videatur. Accedit ad
hæc etiā ipsa resurrectionis gloria, quæ omnē
ei memoriā, quos pertulit cruciatū, adimit.

Tantæ porro beatitudinis est, ipse resurre-
ctionis status, Christiani, vt cum semel eiuf-
dem nos compotes reddi cōtigerit, omnium
laborū molestiarumque hic olim toleratarum
memoria nobis penitus excidat, & omnia li-
cet grauissima fuerint prorsus nihil & ludi-
crum quid fuisse videantur. Docuit hoc gen-
tium Doctor Paulus, dicens: *Non sunt cond gnæ
passiones huius temporis, ad futuram gloriam qua
reuelabitur in nobis?* adeo vt quidquid hic nos
pati contigerit, vel quæcunq; hoc in mundo
molestia acciderit, eius respectu iudicium
quid & leue nobis videri debeat, imo ne at-
tendi quidem vel pensari mereatur.

Et sane si cui nostrum contingeret, alicui
sanctorum iam cœlestibus gaudiis perfruentiū
loqui, & petere ab iis daretur: quid ipsi de
suppliciis, doloribus, martyriis, quæ in hoc
mundo sustinerūt, videretur? eodē prorsus
modo, quo hic Christus, eos respondenturos pu-
tādū est, quæ? Quid? an nō recordaris glorio-
se Apost. Bartholomæe, fuisse tibi i vno olim
hic pallem detractam? nō recordaris Stephe-
ne, lapidibus te obrutū à Iudæis? nec te Lau-
renti craticulæ superimpositum, lento igne,
vt holocaustum Deo gratum fieres, assatum
esse? non meministi amplius Petre crucis, cui
affixus expirasti? quid dicis de mucrone tuo
Paule, quo tibi venerandum illud maiestate
caput præcisum fuit? Et quæ inquit, de qua
re loquimini, quas nobis narratis fabulas?
anne aliquid in hoc mundo vobis visum
sustinuisse? nihil est hoc Christiani, dicet, ni-

• Tom. 1. Bess. i. Quadrage.

hil est, non fuere flagella, sed ferula, non rotæ
sed rosæ, non lora sed flores, non equulei sed
delitiæ. Contrario vero, tanta damnatorum
infelicitas & calamitas est, vt omnium priorū
voluptatum deliciarumque, quas in hoc mun-
do habuere, nullam iam prorsus memoriā ha-
beant, sed nihil illis hæc omnia fuisse, imo ne
fuisse quidē videantur. An non verum me di-
cere testaberis tu Cæsar, & tu Alexander, nul-
lam sc. vobis honorē, dignitatum, regnorum,
coronarum, sceptrorum amplius memoriā
restare? Non recordamini fuisse vos aliquādo
reges potentissimos, monarchas orbis diuites
affluentissimos? Et quæ respondebunt: quid
profuit nobis superbia, diuitiarum iactantia quid
contulit nobis: *Transferunt omnia sicut umbra.*

Diues ille epulo cum apud inferos sepultus
Abraham patrem inuocaret, sui vt miseretur
tur, respondit Abraham è summo cœlo, *Re-
cordare tibi, quia receperis bona in vitatua:* non
recordabatur, ecce priorum deliciarum, aut
præteritorum conuiuiorum. Sed venit mihi,
quoad hanc rerum priorum obliuionē, inli-
gnis cuiusdam figura in mentē. Cum septem
anni in Ægypto transissent, septē alii sterili-
tatis aduenerunt adeo quidem vehemētes ac
duri, vt eorum præsens memoria & experien-
tia, priorum annorum abundantia mortales
obliuisci cogeret. Heu! anni illi æterni famis
qua damnati quietē, gloriam & gratiam esu-
riunt, quæque semper apud inferos duratura
est, adeo horrendi & pertimescendi sunt, vt
omnem præteritarum voluptatum, quæ in
hoc mundo fuere, interea dum anni abun-
dantię durarunt, deliciisque vita affluxit, me-
moriā è mentibus auferant.

Et quæ expedit Cleopha, temporis nos pre-
mit angustia, & Dominus tibi ait, dolorum se
nō meminisse: quid igitur subest? *De Iesu Na-
zareno qui erat vir potens, &c.* Adiungit dein-
de: *Non sperabamus:* o modica fidei omnis tua
spes concidit: misera cymbula, quanto mo-
do in discrimine versaris? fidei tuæ malus
contractus est, & spei anchora amissa. *Vir in-
quirit:* neq; enim amplius in eo diuinitatem
agnoscunt, an nescitis, o discipuli, hunc Deū
simul & hominē esse? Potens namq; est ope-
re, vt Deus: & potens sermone sicut homo:
duobus quoque gladiis instructus, virtute &

Cccc

doctrina

Christo soli doctrina: quoad virtutem potens est, quoad & tormēto doctrinam eloquens. Sol lumen & simul bellico colore habet: tormentū bellicum, quod non paratur.

nisi pulcrem nitreum in se habet, & globo non est sufferrum, mugitum quidem & boarum edit. sed nihil effringit aut diruit, at Iesus Christus bombardā erat quæ & effringebat, & simul sonitum edebat: Sol erat qui verbis illuminabat, & operibus calefaciebat.

Nos sperabamus. Valeat iam spes nostra, quæ cōcidit, sperabamus per eum a Romanorum nos imperio liberandos, & eorum iugo eripiendos: vti Moyses seruitute Ægyptiaca Patres nostros liberauit. O insensati discipuli, nondum præterire tempora, adhuc hora est, fumite animos, nolite animo concidere. An

Inanis Lutheriæ Caluini spes.

de vobis, ô Lutheri & Caluine, perfidis inquam peregrinis dicam, quod de duob. hisce discipulis dicitur: toties namque vos audivimus dicentes, Ecclesiæ nostræ Ierusalem egrediendo, vt in Emaus Geneuæ aut Wirtenbergæ secederetis: *Nos sperabamus.* Sperabatis scilicet, post bellum Pontifici Romano illatum, post oppugnatum purgatorium, post effusum sacerdotum sanguinem, post diruta templa, Ecclesiam ipsam vos euersuros: sed spes vestra eodem tempore quo exorta est, cōcidit. Iactauerat Lutherus secundo rebellionis & dominationis suæ anno, se, si ad res vel quatuor adhuc annos vita ei prolongaretur, omnem Papatum destruaturum, atque euersurum, & tamen viginti quatuor, & quot excurrit, annis, libere dominatus est, nihil tamen vnquam huiusmodi præstitit, aut factum vidit.

O stulti & tardi corde ad credendum! Quanta vestra insania est, Lutheri & Caluine, in solidā illam Ecclesiæ petrā insensatum caput velle impingere? quanta vestra amentia est ô hæretici, sumpris armis ita veritati bellū mouere? Deo quæ qua potestis ratione resistere? Vos vero miselli discipuli, quæ stupidi & tardi ad credendū estis: quid? nunquāne Prophetas & veteres scripturas legistis? nunquamue audiistis, Messia ad Ionæ imitationē, triduo in viscerib. terræ, vt ille in aluo ceti, perman-surum, & tum demum resumpto corpore lumen solis conspiciaturum? An non cum dicentem audiistis, quod templum hoc destrue-

ret, & post triduum aliud reā edificaret, atque hoc de corpore suo intelligi voluit. O igitur *Stulti & tardi corde ad credendum.*

Et sane stulti sumus, Domine, & fatui qui Peccatores te relicto mundum sequimur, qui solem fugientes in tenebris viuere malumus, paradiso exulare vt tartarum ingrediamur, qui cælum veram patriā nostram negligimus, vt in hoc mundo, qui locus peregrinationis est, habitare & sedem figere valeamus. Equæ maior in hoc mundo dementia inueniri potest: *Stultorum infinitu. est numerus*, id est, peccatorum ait Sapiens. Et bene quidē: quot n sunt peccatores, qui relicta gratia Domini, peccatum vltro amplectuntur, quique tibi bellum mouent, quo diabolo seruiat: tot etiā fatuos, tot phreneticos, tot dementes effedicendum est. Sed accedit ad hanc dementia Domine duritia quædam grandis, & stupida ad scripturis credendum tarditas: toties quippe admonemur, toties nobis concionatores ingeminant esse se infinitā quandam gloriam paratam iis, qui fidele tibi hic obsequium exhibebunt, eterna vero supplicia iis qui te mortali aliquo delicto offendent: & tamen credere vix possumus: aut si credimus, vix in animum demittimus, aut parum curamus. Quapropter Domine, qui hodie duobus hisce discipulis peregrinantibus oculos aperuisti, te supplices obsecramus, vt oculos nobis idem profusus iter ingressis apertas, vt scilicet. Scripturas sacras intelligendo, tuaque semper iudicia ante oculos habendo, è stultis sapientes effectis, confecto longo vitæ huius itinere ac peregrinatione, feliciter ad patriam cœlestem peruenire valeamus. Amen.

FERIA III. POST PASCHA.

Partitio.

- I. De cælo labori us obtinendo.
- II. De stante in medio.
- III. De imprecante pacem.
- IV. De voce Ego sum.

Seruit Iesus in medio discipulorum suorum & dixit eis, Pax vobis. Luc. vlt.

IIIGV